

Denique aquam benedictam, et Crucem, nisi aliam habeat, coràm eo relinquet, ut illam fréquenter aspiciat, et pro sua devotione osculetur et amplectatur.

Admoneat etiam domesticos et ministros infirmi, ut si morbus ingravescat, vel infirmus incipiat agonizare, statim ipsum parochum accersant, ut morientem adjuvet, ejusque animam Deo commendet: sed si mors immineat, priusquàm discedat, Sacerdos animam Deo ritè commendabit.

RITUS

BENEDICTIONIS APOSTOLICÆ IN ARTICULO MORTIS A SACERDOTIBUS AD ID DELEGATIS IMPERTIENDÆ.

Habens prædictam facultatem, ingrediendo cubiculum ubi jacet infirmus, dicat: *Pax huic domui* etc., ac deindè ægrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam: *Asperges me*, etc.

Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus Benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, brevisiter admoneat; tum instruat, atque hortetur,